

quod etiam affirmat Bart. in l. *Donationes*, 26, c. de Donat. inter vir. et uxor. ex l. *Si judex*, 14, ff. de Minor., quæ non in propriis terminis, sed per quamdam particularem rationem induci potest. Denique in hoc quodammodo æquiparatur privilegium sic communicatum privilegio *ad instar*, improprie dicto, propter imitationem impropriam quam facit per fictionem juris: sic enim hoc privilegium dum extenditur ad familiares religionis, verbi gratia, æstimare illos videtur tanquam religiosos fictione juris, vel per quamdam habitudinem et analogiam.

13. *Illatio contra dicta.* — Dicit vero aliquis: ergo privilegia concessa religioni, ut sic, quatenus communicantur singulis religionis divisim ac personaliter, erunt privilegia per communicationem, non per directam concessionem, quia non ratione sui, sed ratione totius corporis singula membra religiosa illis privilegiis gaudent, et in eis a corpore dependent; nam si corpus religionis illis privetur, vel illa renuntiet, vel amittat, omnes et singuli religiosi illis carebunt; non vero e contrario. Religio etiam uti poterit tali privilegio contra suum religiosum, non tamen e contrario; ergo est illud privilegium per communicationem imperfectam et similitudinariam, etiam respectu religiosorum: consequens autem videtur absurdum, et alienum a modo loquendi omnium de hujusmodi privilegiis.

14. *Responsio.* — Respondeo talia privilegia respectu religiosorum, non esse per communicationem proprie loquendo, sed per concessionem primariam et directam. Quia, quando privilegia religionis talia sunt ut pro singulis religionis, et ad personalem usum conferantur, primo ac per se conceduntur ipsis personis religionis: nam licet videantur concedi singulis ratione totius, etiam conceduntur corpori mediantibus membris secundum diversa genera causarum. Nam si respiciamus rationem motivam, illa videtur esse favor religionis, et hoc modo conceditur membris propter totum; tamen si spectemus immediatum subiectum cui fit favor privilegii, illud est unaquæque persona religiosa, nec conceditur corpori, nisi quatenus omnibus et singulis membris datur, quia actiones vel effectus propter quos datur privilegium ad singulos spectant, non ad corpus ut tale est, ut supponimus. Et in hoc est magna differentia inter ipsos religiosos, et alios qui quasi extrinsece adhærent religioni. Et ideo etiam non potest dici

tale privilegium secundum hunc respectum esse *ad instar*, aut secundum fictionem aliquam, neque secundum propriam dependentiam, nisi fortasse quatenus partes pendent aliquo modo a toto, et e contrario. Dixi autem respectu religiosorum, utique jam professorum, quia respectu novitiorum dici potest hæc communicatio secundum aliquam fictionem et extensionem, et ideo ut talia privilegia convenient religionis, non est necessaria specialis expressio aut declaratio, sed satis est quod religioni concedantur; ut vero complectantur novitios, necessaria erit expressa verborum forma, et ita observat usus, et multo magis est necessaria, ut ad familiares extendatur. Unde etiam in his solent requiri speciales conditiones, ut, verbi gratia, quod actu serviant, intra monasteria habeant, etc.; in religionis autem sola professio sufficit, ut notari potest in Trident., sess. 24, c. 11 de Reform.

15. *Quodnam sit proprium privilegium per communicationem simpliciter?* In re nil differens a privilegio *ad instar* proprie sumpto. — At vero privilegium quod uni prius concessum est, et postea communicatur alteri in propria persona, ita ut fiat illius proprium, non minus quam si tali personæ vel rei fuisset primario concessum, illud est proprium privilegium per communicationem simpliciter, et in re nihil differt a privilegio *ad instar*, proprie sumpto, quale supra explicatum est. Ita tandem concludit Mand. supra, et idem sentiunt Cord. et Emman. Roder., licet terminis quæstionem non tractent. Et probabitur facile declarando vim et efficaciam hujus communicationis. Primo enim hæc communicatio est veluti concessio privilegii, quia illi, cui privilegium communicatur, novum privilegium conceditur, quod antea non habebat, et licet antea illud privilegium in specie esset in alio, non tamen erat in tali re vel persona; ergo quoad hanc individuationem, ut sic dicam, quasi de novo fit: unde communicatio illa etiam dici potest multiplicatio numerica ejusdem privilegii, ut supra declaratum est. Deinde, cum dicitur hoc privilegium communicari, nihil aliud per hoc significatur, nisi quod privilegium, ut receptum in eo cui communicatur, sit ejusdem rationis cum illo, quod communicatur; hoc autem ideo est, quia fit *ad instar* et similitudinem illius; est ergo illud privilegium *ad instar*, et quod per hanc vocem significatur quasi in actu signato, per verbum communicationis significatur in actu exercito; res autem eadem est.

16. *Proprietates supra declaratæ in privilegio ad instar, locum habent in privilegiis communicatis absoluto et perfecto modo.* — Præterea (quod ad rem moralem præcipue spectat), hinc fit ut proprietates supra declaratæ in privilegio *ad instar*, in privilegiis communicatis absoluto et perfecto modo locum habeant. Nam per communicationem hanc ita fit proprium privilegium in eo cui communicatur, ut mutatio in uno facta non necessario fiat in altero, nec e converso, sive illa sit per modum augmenti, sive per modum diminutionis aut corruptionis. Ratio est, quia communicatio privilegii seu privilegiorum, si nihil aliud addatur, intelligitur fieri de privilegiis concessis, vel secundum mensuram concessionis jam factæ, quia vel verbum *communicandi* regulariter cadit super verbum de præterito, quod ad futurum de se non extenditur, ut dicendo: *Communicamus huic hospitali privilegia concessa tali hospitali*: vel licet non addatur verbum *concessa*, sed simpliciter dicatur, tale hospitale gaudeat privilegiis talis Ecclesiæ, intelligitur de concessis, quia non sunt eo tempore privilegia talis Ecclesiæ, nisi quæ illi concessa sunt. Et ideo ubi princeps vult largiorem facere communicationem, addit specialia verba quibus expresse declaret, non tantum communicare privilegia concessa, sed etiam concedenda, sicut fecit Pius V in dicta Bulla, et similes sunt plures in compendio, verb. *Communicatio*, et ita quoad hoc idem omnino sentiendum est de privilegio per communicationem, et ad instar. Et ita sentit Mandos. dicto tract., Gloss. 14, ubi ita interpretatur quamdam privilegiorum communicationem Societati factam a Pio V, in Bulla *Æquum reputamus*, anni 1565; et ideo putat communicationem privilegiorum Societati factam a Pio V non extendi ad privilegia concedenda, nisi per aliam communicationem quasi reflexam, seu in quantum illi communicantur privilegia aliarum religionum in quibus illa extensio continetur. Sed licet hoc sit probabile, attento solo tenore illius Bullæ, nihilominus est alia Bulla ejusdem Pii V *Cum infessæ* (quam ille auctor sine dubio non vidit, quia fortasse ante illam editam tractatum illum composuit, nam fuit post sex annos a superiori edita), in qua expressis verbis communicantur Societati privilegia concessa et concedenda. Hæc ergo clausula, vel alia æquivalens necessaria est ad illam extensionem, quæ solet etiam addi in privilegio *ad instar*, ut constat ex l. *Omnia*, c. de Episcop. et cler., et

ita in hoc non est differentia inter hæc privilegia.

17. *Mutatio privilegii respectu ejus cui primo fuit datum, non mutat respectu illius cui posterius.* — Simili modo dicendum est de mutatione privilegii communicati quoad diminutionem vel amissionem, quia licet privilegium minuat vel amittatur, sive per revocationem, sive per non usum, sive quocumque alio modo, in eo cui prius directe concessum fuit, inde nulla resultat mutatio in eo cui postea fuit communicatum, quia hæc posterior concessio non pendet a prima, quia non conceditur posteriori tanquam accessorio, seu connexo cum priori, sed per se ac directe, ex propria, et in propria persona, solumque est inter illas concessionem antecessio temporis, et quædam multiplicatio; ideoque mutatio in uno facta non potest alteri nocere. Atque ita tradit Panormitan. in cap. *Cum accessissent*, de Constit., et cum illo Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 11, in fin.; Mandos., supra, q. 6; Roder., tom. 1, quæst. 55, art. 19, ubi in hoc sensu ait per communicationem privilegii dari jus utendi illo, non tamen communicari usum vel non usum ejus cui prius tale privilegium datum est. Quod vere dictum est, et idem dici potest de quacumque renuntiatione privilegii, vel causa ab uno data ad illius amissionem; nam in his non est facta communicatio. In his ergo non invenitur differentia inter privilegium per communicationem et *ad instar*, nec etiam in aliis quæ supra notata sunt.

## CAPUT XVII.

## UTRUM COMMUNICATO PRIVILEGIO ETIAM RESTRICTIO EJUS COMMUNICETUR.

1. Occurrit tamen, in hac æquiparatione, specialiter inquirendum an privilegium alicui concessum cum certa restrictione, et postea communicatum alteri, intelligatur communicatum cum eadem restrictione, etiamsi illa non exprimat, sed absolute dicatur communicari huic privilegium quod alter habet. Nam videtur ex dictis sequi pars affirmans, primo, per argumentum a contrario, quia illa restrictio non supervenit communicationi, sed supponitur in prima concessione: sed restrictio quæ supervenit post communicationem, non extenditur ad talem communicationem; ergo oppositum dicendum videtur in restrictione quæ præcedit. Item illa restrictio necessario transit ad privilegium *ad instar*; ergo etiam



transit cum communicatione privilegii perfecta. Probatur consequentia, quia hæc vel sunt in re idem, licet verbis differant, vel certe parificantur; est enim eadem ratio in utroque, præsertim quoad hanc conditionem. Antecedens autem patet, quia privilegium, datum a principio cum restrictione, cum eadem proponitur ut exemplar alterius, quia revera non est datum, nisi in tali gradu, vel cum tali modo, et sic proponitur in exemplar, quando aliud datur ad instar illius; ergo illa restrictio necessario transit ad exemplatum. In contrarium vero est, quia restrictio addita in prima concessione respectu ejus cui facta est, non semper æque aut bene accommodatur alteri, cui tale privilegium per communicationem concessum est; ergo non est verisimile restrictionem etiam communicari, ut, verbi gratia, conceduntur Societati sua privilegia cum hac restrictione, ut singuli religiosi illis uti non possint, nisi per caput proximum totius religionis, quod est generalis, id est, per applicationem et consensum ejus; quando ergo hæc privilegia aliis religionibus communicantur, non est verisimile restrictionem illam communicari, quæ non est gubernationi aliarum religionum accommodata. Similiter conceduntur Societati aliqua privilegia cum hac restrictione, ut aliæ religiones illis uti non possint per viam communicationis; aliæ vero religiones habent privilegia communicandi in omnibus cum cæteris aliis religionibus: ergo illa restrictio non poterit aliis religionibus nocere.

2. *Prima restrictio privilegii.* — Adverto triplicem posse cogitari restrictionem in hujusmodi privilegiis. Prima esse potest ad limitandum privilegium secundum se, non intuitu religionis vel in favorem religiosi instituti, etiam absolute et generatim spectati, sed ratione tantum convenientis moderationis talis privilegii, vel ad cavendum nocumentum aliorum, vel ad vitandum aliquam perturbationem quæ ex majori licentia oriri posset. Ut si privilegium non solvendi decimas limitetur ad propria prædia quæ propriis laboribus excoluntur, vel si privilegium exemptionis limitetur ne ad familiares extra monasteria viventes extendatur, vel ne tollat obligationem servandi festivitates et interdicta, et similia. Et de hoc genere restrictionis, certum existimo servandam omnino esse, in communicatione privilegii, eodem prorsus modo quo in prima et directa concessione adhibita fuit. Hoc enim ad minimum convin-

cunt priores rationes dubitandi; et præterea, quia eadem ratio quæ fuit ad limitandam concessionem, est ad limitandam communicationem, et Pontifex aut princeps non declaravit se velle majorem gratiam facere in communicatione, non obstante paritate rationis (ut supponimus, alias nulla esset quæstio), sed solum simpliciter voluisse communicare privilegium quod alteri concessum fuerat; ergo intelligitur communicatio juxta tenorem et rationem prioris privilegii.

3. *Secunda restrictio.* — Secunda restrictio privilegii esse potest illa quæ addi solet in favorem et conservationem instituti religiosi, vel simpliciter, vel quatenus tale vel tale est, quæ interdum addi solet illis verbis: *Dummodo regulari observantia non sint contraria*, quæ frequentius adduntur in communicatione privilegiorum, quia fortasse in illa sunt magis necessaria; possent autem in quacumque concessione adjungi, si ex tenore, et in fine privilegii non satis constet. Est enim advertendum duobus modis concedi privilegia religionibus: uno modo, per modum relaxationis, seu dispensationis, vel generalis pro tota religione, vel particularis pro aliqua provincia aut domo, in aliqua observantia rigorosa: tales sunt concessiones factæ aliquibus religionibus mendicantium, virorum vel feminarum, ad habendum proprium in communi, et factæ religionibus militaribus ad contrahenda matrimonia, et similia. Alio modo conceduntur privilegia religionibus ad favorem earum, vel ut facilius possint vel temporaliter sustentari, vel spiritualiter operari, quæ privilegia non relaxant religiones, sed de se potius tendunt ad fovendam perfectionem, et conservandam disciplinam religiosam. Et hic modus magis est usitatus, quia per se melior est, et ita etiam est per se intentus, prior enim potius est quasi permisus, seu per accidens intentus ad majora incommoda vitanda. Quando ergo absolute conceditur privilegium, et ex tenore et verbis non constat concedi per modum dispensationis alicujus rei pertinentis ad proprium institutum et regularem observantiam, intelligitur concessum sub illa tacita conditione, *dummodo regulari observantia non repugnet*, et ideo in prima concessione privilegii ordinarie non exprimitur hæc limitatio, quia veluti per se inest, quamdiu contrarium non exprimitur. Nam intentio Pontificis nunquam est relaxare religionem, neque id facere credendus est, nisi quando id declarat, causa

cognita et necessitate urgente, quam significare solet quando talia privilegia relaxantia concedere intendit.

4. Unde a fortiori constat quod, si talis restrictio expresse addatur in concessione, multo magis intelligetur adhibita in communicatione, etiamsi in illa non exprimatur; nam etiam tacite subintelligenda esset, licet in neutro exprimeretur, propter eandem rationem. Potestque a simili argumentum ad hoc confirmandum sumi ex cap. ultim. de Observ. jejun., ubi generalem licentiam comedendi carnes in sexta feria quando dies natalis Domini incidit, declarat Pontifex non extendi ad eos qui voto, vel regulari observantia, ad illam abstinentionem sunt astricti: indicat ergo generale privilegium habere subintellectam illam conditionem, ut regularem observantiam non relaxet. Quia intelliguntur communicari ea quæ ad favorem pertinent, non quæ ad perniciem communicarentur, et quæ ad ædificationem conferre possunt, non quæ ad destructionem. Sæpe autem in communicatione privilegiorum additur expressa illa modificatio; tum quia istæ communicationes per clausulas valde generales fieri solent, et ideo ne ex illis sumatur occasio errandi, utilissima est illa declaratio; tum etiam quia (ut dixi) sunt multa privilegia concessa aliquibus ad relaxandum rigorem, et oportuit exponere in illis non fieri communicationem per solas clausulas generales. Quocirca, quia non solum dantur communicationes in privilegiis prius concessis, sed etiam dantur communicationes communicationum, ut sic dicam, et ita fiunt quamplures veluti reflexiones et mutue extensiones harum communicationum privilegiorum, ideo, licet illa clausula non addatur in quacumque forma communicationis, secundum illam restringenda est, sive per conclusionem tacitam, quia per se inest, nisi aperte excludatur, sive per relationem ad privilegia quæ communicantur, in quibus talis clausula posita est.

5. Solum oportet advertere interdum addi posse specialem restrictionem privilegii intuitu observantia alicujus religionis, quia secundum suum institutum est necessaria, vel maxime conveniens ad rectam gubernationem, vel ad disciplinam religiosam observandam, quæ tamen in alia religione, secundum suam regulam et institutum, non servatur, nec pertinere censetur ad perfectam observantiam sui instituti. Et tunc verisimillimum est, in concessione talis privilegii alteri religioni

facta non includi restrictionem illam, seu particularem modum utendi illo privilegio priori religioni accommodato. Ita sentit Emman. Roder., d. quæst. 55, art. 7, de illa clausula quæ additur in privilegiis Societatis: *Ut non intelligantur concedi inferioribus singulis immediate, sed mediante Præposito generali*; existimat enim hunc ordinem non esse necessarium in aliis religionibus, quibus per viam communicationis propria Societatis privilegia conceduntur. Fundatur, quia aliis absolute et sine illa restrictione communicantur, ac si directe essent illis concessa: restrictiones autem et limitationes non communicantur. Responderi tamen posse juxta prædicta, restrictiones quidem per se non communicari, nihilominus tamen quando privilegium fuit restricte concessum, non nisi restrictum communicari.

6. Sed nihilominus placet illa sententia. Primo quidem, quia privilegia ipsa prius fuerunt absolute concessa Societati, postea vero addita fuit restrictio per specialem declarationem, quæ non restringit modum utendi privilegio, nisi quoad Societatem ipsam: communicatio autem aliis religionibus postea facta est de solis privilegiis, et gratis, non de hujusmodi declarationibus. Secundo, quia in ipsamet declaratione explicatur fundari in speciali modo Societatis, propter instituti ipsius ab aliis religionibus diversitatem, ut dicitur in Bulla Gregor. XIII *Ad futuram*, anni 1575, in princ.; ergo quod ex propria et (ut sic dicam) distinctiva ratione in Societate ordinatum est, non est verisimile ad alias religiones, sine alia declaratione vel necessitate, extendi. Et confirmatur, quia non solum propria privilegia, sed etiam aliarum religionum indulta communicantur Societati cum illa expressa restrictione: *Dummodo instituto Societatis et Præpositi aut hujusmodi personarum deputatarum voluntati et beneplacito non refragentur*; quæ limitatio non extenditur ad alias religiones quoad communicationem privilegiorum cæterarum religionum, ut per se constat; ergo etiam non habet locum in communicatione privilegiorum ipsius Societatis; nam eadem est ratio. Hoc autem limitari potest, ut locum non habeat in illis religionibus (si quæ sunt) quæ in hoc modo regiminis vel subordinationis Societatem imitantur, vel simpliciter, vel secundum aliquem modum, ratione cujus in damnum talis religionis cederet, si privata personæ possent uti privilegiis suo arbitrio, et sine consensu Prælati, vel Capituli, seu illius



ad quem juxta tale institutum illa cura et sollicitudo incumbit. Tunc enim videtur intelligenda communicatio privilegiorum juxta modum tali religioni accommodatum, non propter communicationem cum Societate in illa restrictione propria ejus (nam in illa revera non videtur habere locum communicatio, quia non est proprie privilegium), sed propter illud principium generale proxime positum, quod communicatio privilegiorum in unaquaque religione intelligenda est sine dispendio disciplinae religiosae, uniuscujusque instituto et regimini accommodatae.

7. *Tertia restrictio privilegii.*—Tertia itaque restrictio privilegii esse solet, quia conceditur cum speciali respectu ad res spectantes specialiter ad religionem, locum, vel personam illam cui primo conceditur. Ut, verbi gratia, conceditur religioni sancti Dominici privilegium non servandi interdictum locale in festivitibus Sanctorum suorum in ecclesiis suis, vel quidpiam simile; et postea illud privilegium communicatur religioni sancti Augustini sine alia declaratione; constat autem illam non posse uti illo privilegio cum restrictione, materialiter (ut sic dicam) et ut sonat sumpta, quia sic non redundaret in peculiarem favorem suum, cum tamen communicatio ad hoc fiat. Neque etiam potest intelligi concessio absoluta, et sine ulla restrictione; quia sic esset vel inutilis concessio propter indeterminationem et ambiguitatem, vel esset absurda, si cum absoluta generalitate acciperetur. In hujusmodi ergo privilegiis dicendum est, communicari cum eadem restrictione formaliter, seu cum proportionem accommodata intellecta. Itaque quod conceditur uni religioni respectu suorum sanctorum, communicatur alteri respectu suorum, idemque de locis, festivitibus et aliis similibus intelligendum est. Sicut quod conceditur uni religioni respectu suorum novitiorum, vel familiarium, communicatur alteri respectu suorum, quando communicatio privilegiorum in genere, vel talis privilegii in particulari, absolute et sine alia declaratione fit. Quia ex ipsa materia satis constat, hac intentione et proportionem fieri talem communicationem. Atque ita declaratum esse a Julio II inter Prædicatores et Minores refertur late in Supplemen., et ab Emman. Roder., dicta quaest. 53, art. 20. Tamen cum proportionem ad omnia similia privilegia est applicanda, ut respective intelligatur facta communicatio; ita ut sit illud privilegium ad instar secundum proportionalitatem; quæ re-

gula fere in omnibus privilegiis ad instar servari potest et debet.

8. *Quam vim habet restrictio incommunicabilitatis privilegii.*—Et per hæc satisfactum est rationibus dubitandi pro utraque parte in principio positis; solum superest explicandum quam vim habeat restrictio illa quæ interdum addi solet privilegio alicui concessio, scilicet, ut sit aliis incommunicabile (ut sic dicam), vel ut aliis non communicetur. Exemplum invenio in nostra Societate in Bulla Gregor. XIV, ubi post varias concessionem in fine subjungit hæc verba: *Præsentis autem constitutionis et gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus.* Et similia verba, circa quoddam speciale privilegium Societati concessum, habet Gregor. XIII in Bulla anni 1584 *Satis superque.* Ratio ergo dubitandi est, quia hæc prohibitio non videtur posse impedire quominus generalis et absoluta communicatio privilegiorum Societatis vel omnium religionum, facta alteri religioni, has etiam gratias comprehendat, quia par in parem non habet imperium, et ideo prohibitio illa non potest impedire quominus sequens Pontifex illa privilegia aliis communicet. Propter quod Emmanuel Roder. supra, art. 27, dicit (licet cum formidine) per concessionem generales postea factas, etiam ab eodem Gregorio XIII, communicari aliis religiosis etiam illa privilegia, quia generalis communicatio omnia complectitur. Sed non videtur mihi juridica interpretatio, quia est vulgare in jure quod generi per speciem derogatur, etiamsi species ipsa præcesserit. Item quia vulgare etiam est sub generali clausula non venire, quod princeps non esset in specie verisimiliter concessurus. Item, quia generalis concessio casuum non extenditur ad reservados, ut est etiam commune dogma. At privilegia hæc quorum communicatio specialiter prohibetur valde specialia sunt, et quasi reservata quoad modum concessionis; ergo nisi vel in communicatione fiat specialis mentio illorum, vel saltem addatur clausula per quam comprehendantur omnia privilegia, etiam illa quorum communicatio specialiter prohibita est, per solam clausulam generalem non existimo talia privilegia communicari. Et confirmatur, quia alias, non obstante illa prohibitionem, possent alii religiosi uti illis privilegiis ex vi antiquæ communicationis, qua illis conceduntur privilegia omnia

concessa et concedenda, quia illa etiam universalis est, et comprehendit omnia; consequens est plane falsum, quia alias talis additio et prohibitio pontificia vana esset, et frustra fieret, cum constet innumera esse talia privilegia per quæ communicantur futura privilegia. Quod si hoc non admittitur de antiquioribus privilegiis, etiamsi universaliter loquantur, neque in subsequentibus admitti debet; nam etiamsi sint tempore posteriora, in eodem sensu conceduntur quo præcedentia, et eodem modo per specialia præcedentia limitantur. Et ita responsum est ad rationem dubitandi; fatemur enim posse posteriorem Pontificem communicare talia privilegia, negamus tamen id facere per solam clausulam generalem, et hanc vim et fructum dicimus habere restrictionem illam.

## CAPUT XVIII.

AN CONFIRMATIO PRIVILEGII SIT NOVA ILLIUS CONCESSIO, VEL QUID SIT, ET AN UNA AB ALIA DIFFERAT.

1. *Ratio dubitandi.*—Quarta forma concedendi privilegia esse potest per confirmationem eorum; constat enim sæpe confirmari privilegia prius concessa, quod maxime videtur esse in usu in privilegiis religionum, idem vero in aliis fieri potest, et sæpe fit. Dubitari ergo potest imprimis an hæc confirmatio privilegii sit nova illius concessio, vel quid sit. Si enim vim nominis attendamus, confirmatio non potest esse concessio, quia quod confirmatur, supponitur esse; quod enim nihil est, confirmari non potest. Sicut conservatio non potest esse rei productio, quia supponit rem esse, et consequenter supponit productionem ejus. In contrarium vero est, quia si confirmatio privilegii non est nova concessio illius, nihil confert privilegio; erit ergo actio inutilis, quod dicendum non est. Antecedens patet, quia confirmatio privilegii non auget extensive (ut sic dicam) privilegium quoad effectus vel gratias privilegii, sed circa idem omnino versatur; nec etiam auget intrinsece, quia concessio privilegii est quasi indivisibilis, quæ non recipit magis vel minus ex parte solius recipientis; ergo si non habet vim novæ concessionis, nullum effectum moralem efficere potest, et sic frustra fit. Accedit, quod non repugnat, idem sæpius concedi ex parte concedentis: nam eadem promissio seu idem votum potest iterari; ergo eadem concessio

privilegii poterit iterum fieri quantum est ex parte concedentis, habebitque hunc effectum, ut si fortasse prima concessio non tenuit, vel perdita est aliqua via, per confirmationem iterum fiat. Et ita confirmatio erit veluti secunda concessio de se sufficiens ad privilegium, et efficax, si subjectum indigeat.

2. *Confirmationem actus dupliciter posse postulari: primo, quoad valorem substantiæ actus; secundo, ob majorem auctoritatem, aut quid simile.*—Ad explicandam hanc privilegiorum formam seu gratiam, adverte confirmationem alicujus actus dupliciter postulari posse: uno modo, tanquam per se necessaria ad consummandum actum prius inchoatum et non perfectum quoad substantiam ejus, ut quando in electione ad munus vel dignitatem postulatur confirmatio, vel quando in pacto inter aliquos facto ad ejus validitatem et firmitatem necessaria est confirmatio principis vel judicis. Alio modo, confirmatio, quamvis non esset per se necessaria ad substantiam et valorem actus, additur ad majorem quamdam auctoritatem, vel alium similem effectum. De priori confirmatione dici aliquo modo posset esse novam concessionem, seu collationem beneficij, aut alterius rei de qua confirmatio datur, quia ante confirmationem non erat jus perfecte acquisitum, et ita per confirmationem suo modo confert. Verumtamen, etiam in hoc modo confirmationis, ad ipsam confirmationem supponitur alius prior actus, ut electio, præsentatio, concordia, pactum, vel quid simile, respectu cujus actus illa consummatio, quæ additur, dicitur confirmatio; et ideo tunc qui confirmat, non censetur simpliciter dare, sed consummare quod inchoatum erat, ut ait Bart. in l. *More majorum*, ff. de Jurisd. omn. jud., n. 3, quamvis respectu rei, vel juris, aut firmitatis concessæ, dici possit nova concessio, seu donatio. Et hinc est ut hæc etiam confirmatio de se et jure ordinario requirat validitatem in actu quem supponit: nam si confirmatur electus, supponitur electio valida; et sic de aliis. Ita habetur ex cap. *Quia diversitatis*, de Concess. præbend., quod specialiter loquitur de confirmatione in forma communi, quam statim explicabimus. Idem sumitur ex cap. 1 et cap. *Examinata*, de Conf. util. vel inutil., quibus locis id notant Gloss. et doctores. Unde a fortiori constat posteriorem confirmationem multo minus posse dici concessionem, cum ad validitatem actus vel effectus non requiratur, ut supponitur. Item quia illa confirmatio non ad hoc fit, sed ex